

16
1.
16
1.
29
16
1.
16
1.
2.
3.



Q. D. B. V.
DISSERTATIO POLITICA,
DE
LEGIBUS

INTER ARMA
LOQUENTIBUS,

Quam
In celeberrimo Athenæo Gedanensi,
PRÆSIDE
SAMUELE SCHELGUIGIO,
Philosophiæ Primæ & Practicæ Prof. Pub.
Ordinario & SS. Theologiæ Extraordinario,
itemque Reipubl. Bibliothecario,
Solenni Disputantium Examine
submittit,

DIETERICUS à BANDEMER,
Eques Pomeranus.

Habebitur d. Januarii MDCXXCI.

In Auditorio Maximo,

horis matutinis.

GEDANI,
Imprimebat DAVID FRIDERICUS RHETIUS.

ILLUSTRI, GENEROSO & EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
DN. JOACHIMO ERNESTO
de G R O M K O,
Serenissimo Potentissimoq; Electori Bran-
denburgico à Consiliis Statûs & Belli intimis,
Commiffario Generali & Chiliarchæ
Fortissimo,
Hæreditario in Runo & Vangersk &c.
Domino meo & Patrono impensissi-
mè Colendo.

Tanta Excellentia Tuæ in Fratrem meum extant beneficia, ut non ille tantum, sua sponte natam gratiam, omnibus modis colendam sibi sumpserit, verùm & mihi ut eadem vestigia persequerer, exemplo hortatuq; gratisimam imposuerit necessitatem. Obsequor ergo fraterno amori & ex curtâ studiorum meorum supellectili, quam ætatis excusabit immaturitas, hanc utriusq; nostrum non moritura gratitudinis devotam tesseram promo. Nec ulterius hæc vice progrediar, Virorum Maxime, sed meritorum Tuorum claritatem, quam hebes ingenii caligo ferre vix potest, Principi, Patriæ, Populis, Posteritati, cum uberrimo gloriæ fructu pensandam relinquo; DEum, sub novi hujus anni auspiciis, ex animo precatus, ut Te feliciter annare & diutissime perennare sinat, mihiq; & Meis constanter propitiet. Ego autem omni conatu operam dabo, ut perpetuò dicar habearq;

Excellentiæ Tuæ

Humillimus Cliens
DIETERICUS à BANDEMER.

(3)50

I. N. J.

I.

INTER ARMA SILENT LEGES: vulgaris parcœmia est. Hujus veritatem innumera omnium temporum exempla firmant; cum nihil hodie frequentius sit, nihil olim frequentius fuerit, quàm ut facinoribus quibuscunque, crudelitatis atque injustitiæ notam incurrentibus, RATIO BELLI obtendatur: quod vocabulum æquè ac STATUS RATIO, profanis hominum cupiditatibus palliandis & excusandis, repertum videtur. Nos meliora, ex morali Philosophiâ, moniti, non quid fiat, sed quid fieri debeat, expendere constituimus, ostensuri, etiam INTER ARMA LOQUI LEGES, quamvis heu! plurimi, ne vocem legum loquentium exaudiant, aures atque animum avertant, obstruant, indurent. Deus cœpta secundet, cujus benignitate freti, distinctè in *Belli Exordium, Belli Statum & Belli Exodium* inquiremus.

II. Circa *Exordium Belli*, sequentes se offerunt leges. Prima est: BELLUM NON NISI JUSTA DE CAUSA GERITO. Alioqui enim injustum dici censerique merebitur, quo vix quicquam cogitari potest magis detestandum. Nam cum de justo etiam Bello, an à Christianis geri possit? in Ecclesiâ primitivâ dubitatum & disputatum fuerit, quid fiet de injusto? Ut autem, quæ justæ Belli causæ sint, innotescat, attendendum est, utrum bellum pro nobis, an pro aliis geri debeat. Si pro nobis; legitimæ ejus causæ sunt

A 2

Defen-

Defensio contra vim injustam, Exactio ejus quod nobis debetur, Reparatio damni per injuriam illati, cum cautione de non offendendo in posterum. Si pro aliis legitima belli causa est Vindicatio horum ab iniquitate oppressoris, quousque scilicet eis ad hoc præstandum obligamur. Reliqua, ut cupido habendi vel inclarascendi, imo & metus ex vicini potentiâ, justam bello causam præbere nequeunt. Cavendum quoque, ne in judicio de justitiâ belli ferendo, prætextus, seu, ut Grotius loquitur, causa svasoria, pro causâ verâ & justificâ habeatur:

Fallit enim vitium specie virtutis & umbrâ.

Sic religionis pallium, quo plurimi spem regionis occultunt, adeo jam attritum est, ut in cordatorum oculis omnem penè colorem amiserit & vix istis decipiendis adhuc profit, queis lævâ in parte mamillæ nil salit.

III. Ubi justa belli causa suppetit, Lex secunda nimios ferventis animi impetûs compescit: QUAMDIU SPES SUPEREST LITES SUBORTAS ALITER COMPONENTI, AD ARMA NE PROVOLATO. Cum enim jus naturæ pacem inter universos homines severissimè sanxerit, ex reverentiâ illius, omnia prius tentare decet, quàm belli remedium, non nisi in morbis desperatis concessum, adhibeatur. Accedit quod Mars anceps est, nec semper eandem partem fortuna & justitia tuetur. Hinc quamdiu in pace tutò vivere licet, aleam belli ne tentaveris. Sæpe etiam utiliter aliquid de jure remittitur, verbi gratia, si injuria ab alio illata non sit notoria, aut levior quàm ut ejus causâ gladius stringatur: item, si qui injuriam intulit, multò sit viribus superior,

rior, aut nimium pauper & profligatæ omnino sortis, cui non suppetat, quod in bello perdat; & si qui alii casus ejusmodi obveniant, ut prudenter rem æstimans, majus commodum ex devoratis injuriis, quàm ex usu juris contra injurias, expectet. Quando autem injuriæ sensum publicè testari expedit, priùs tamen, quàm ad arma descendatur, tentanda est via, quâ amicè controversia tranfigatur, ut Colloquio inter imperantes, vel quod minus incommodi secum trahit, inter Imperantium mandatarios; nec non constitutione Arbitrorum, aut quæ rebus conclamatis, sacræ anchoræ locum obtinet, Sorte. Intra has metas tantò diutius commorandum, quantò ex ignorantia facti alieni, obscurave comparatione juris stricti cum charitate alteri debitâ, aut cum propria utilitate, consilia perplexioribus dubiis intrincantur.

IV. Quod si jam stet sententia, armis justâ causâ suffultis alterum invadere, adhuc cunctationem aliquam imperat Lex tertia; **BELLUM ANTEQUAM INFERRATUR, DENUNCIATO;** nimirum ut hostis ita de satisfactione iterum & quidem publicè admonitus, eâ denegatâ, coram toto orbe in manifestâ culpâ constitutur: quo facto simul aliis dissuadetur, ne se injustæ parti adjungant, & auxiliis submissis, in criminis societatem, ultrò ruant. Nam indictio belli non solùm ad hostem, qui injuriam prior intulit, sed cum hoste pariter ad omnes, qui vel in præsentiarum illi assistunt, vel durante bello suppetias latenti sunt, pertinere intelligitur. Istud verò parùm refert, an verbis fiat denuntiatio, an signis aliis, ut acinace misso, sagittâ in fines hostium ejaculatâ, &c.

tà &c. dummodò signa ejusmodi ex instituto & consuetudine gentium id notent, cujus gratiâ adhibentur, & in notitiam ejus, cujus interest, perveniant. Hactenus de Exordio Belli.

V. *Belli statum* similiter tres generalissimæ Leges dirigunt, quarum singulis nonnullæ Leges specialiores subordinantur. Prima Legum generalissimarum est, NEMINEM NISI HOSTEM, HOSTILITER TRACTATO. Sic Innocentia præcipit, quæ cum inter Justitiæ species præcipuum obtineat locum, providet, ne quis præter meritum, damno afficiatur. Cum verò applicatio hujusce præcepti, latissimè se diffundat, ut vix casus omnes, quibus hæc in parte peccari potest, distinctè enumerari queant, ideo Legibus specialioribus, extantiora tantùm delicta castigando antevertemus.

VI. Hujus videlicet loci est Lex illa: MILES APUD SUOS STIPENDIO CONTENTUS VIVITO. Nam ut spoliis hostium ditescere, non licitum modò est militi, verùm & gloriosum; ita probro & dedecore haud vacant, qui ex lachrymis provincialium, quos tueri debebant, alimenta sibi aut fortunæ augmenta quærunt. At quæ seculi labes est, nunc passim stipendiis interceptis, aut malignè solutis, milites præsertim gregarii, Legis hujusce reverentiam exuere à ventre jubentur, qui cum & auribus & oculis careat, nec toto *Juris militaris Corpore*, non ita pridem typis exscripto, placatur, nec vindicibus jurium furcis & eqvuleis, in publico erectis, terretur, nisi quam debes offam, latranti objeceris. Prætereo illos, qui ultra primos nummos, quibus animam & corpus miselli vendiderunt, nihil stipendii amplius vident.
Horum

Horum omnium inobedientia, furta & latrocinia, non magis eis, qui mali sunt, quàm qui malos esse cogunt, ab æquis rerum æstimatoribus, imputantur.

VII. Similis argumenti est lex alia: **TRANSITUS PER FINES AMICORUM, INNOXIUS ESTO.** Qui secus facit & ingratum se gerit erga benefactorem, à quo transitus conceditur, & Innocentiam violat, quia alios præter meritum damno afficit. Utrumque justitiæ repugnat, constanter alii quod debetur, præstanti. Hujus legis fortasse fuerunt immemores, qui proverbio vernaculo ansam dederunt: Militem ne sacco quidem inclusum, sine noxâ aliquò deduci posse.

IIIX. Hujus etiam loci Lex ista est: **MEDIOS,** seu, ut vocare solemus, Neutrales, **NE VEXATO.** Cum enim Medii dicantur, qui impetrato utriusque belligerantium partis consensu, ab armis abstinent, nemo non videt, quicquid mali eis voluntariè infertur, cum æquitate pugnare. Si id, prouti par est, in bello semper observaretur, non dixisset Alphonsus, Arragoniæ Regum sapientissimus, Medios in bello esse similes eis, qui mediam ædium contignationem inhabitant & ab inferioribus fumo excitato, à superioribus lotio effuso infestantur.

IX. Secunda legum generalissimarum, ad statum Belli pertinentium, ita se habet: **POTESTATEM IN CORPUS ET RES HOSTIUM DEBITE EXERCETO.** Nemo equidem sic Marti imperare potest, ut nusquam exorbitet, nec ullâ unquam Ducis militaris prudentiâ, industriâ & severitate effectum est, ut bellum aliquandiu protractum, planè fuerit innoxium. Interim nihilominus

lominus cavere decet, ne quis sceleribus se sponte pol-
 luat, ac in vetitum sciens volensque nitatur; cum &
 potestas in hostem repagula quædam admittat, neque
 omne illud liceat, quod libet.

X. Ostensuri igitur, quousque facultas incom-
 modandi hostibus pertingat, sic operas nostras partie-
 mur, ut initio *de permissione facti*, atque hinc *de permis-
 sione juris* differamus. *Permissione facti* licere dicitur,
 quod ab imperante in subditis puniri, aut à tertio h. e.
 extra partes belligerantium posito vindicari non solet,
 etiamsi haud absque vitio fiat. Hæc permissione contenti,
 licentiam sibi adversus hostes hostiumque socios, & qui
 sub hoste hostisque sociis degunt, cujuscunque sint se-
 xûs vel ætatis, seu in solo proprio, seu in solo hostili,
 seu in solo nullius (v. g. in insulâ desertâ, nec ab ullo oc-
 cupatâ) seu denique in mari omnibus communi depre-
 hendantur, quâ corpus & res eorum, ne sacris quidem
 exceptis, in infinitum sumunt, nisi pacta utriusque par-
 tis, aut leges militares alterutrius partis obstant: quo in
 casu, etiam id quod in hostem, contra interdictum pa-
 tratur, pœnis subjacet.

XI. *Permissione juris* id tantum licet, quod vitio
 caret, etiamsi aliquando non - agere humanitatem ar-
 gueret. Hæc permissio sola, veris justitiæ cultoribus,
 non tam formidine pœnæ, quàm virtutis amore à pec-
 cato abstinentibus, Cynosuræ loco est, de quâ Lex
 specialior observetur: **NON SÆVIENDUM ULTRA,
 QUAM AD FINEM BELLII CONSEQUENDUM,
 EST NECESSARIUM.**

XII. Ut quæ mens nostra sit, tantò pateat eviden-
 tius,

tius, *de Corpore & de Rebus* hostium distinctè agemus. Quod *ad Corpus* hostium attinet, Lex specialissima adest: VITÆ ET SANITATI INNOCENTIUM PARCAS, ne scilicet ex proposito interficiantur, vulnerentur, cædantur, aliâque injuriâ afficiantur. Innocentes autem præ cæteris vocamus, qui resistere nequeunt, propter ætatem, sexum, morbum, vincula &c. Deinde etiam, qui, cum possent resistere, non tamen resistunt, aut restiterunt, sed ab armis abstinuerunt; denique qui ex causis justis v. g. ab hoste prius injustè impetiti, aut ex infortunio (ut ad militiam coacti) hætenus restiterunt, nunc verò deditioe factâ se non amplius obfuturos esse, spondent. Quibus omnibus, si rebus extra periculum constitutis, à nocentibus, qui videlicet ex defensionis necessitate, aut ex justâ vindictâ, hostiliter tractari merentur, discerni queant, eâ quâ indicavimus ratione parcendum est, adeo ut hostis supplex nunquam justè interficiatur, nisi tantum verè commeruerit, quantum ad supplicium decernendum, apud æquum judicem sufficeret. v. gr. si cives ad bellum injustum concitaverit, si facinore aliquo ipse aut per alios justo bello causam dederit, si prior supplicibus veniam denegaverit &c.

XIII. Similiter & *Rebus* hostium Lex specialissima prospicit: NE PERDAS QUICQUAM, NISI EX ACTU TALI COMMODUM ALIQUOD AD TE REDUNDET. Unde abstinendum à vastatione & destructione rerum, quæ ad bellum nihil momenti adferunt, ut sunt sepulchra, statux, picturæ &c. multoque magis, si res extra hostium potestatem constitutæ, nobis prodesse

B

pos-

possint, ut agri ex quibus messis expectatur, & arbores, quæ fructibus suis militum nostrorum inopiam levant &c. De cætero ad consequendum jus perdendi res hostium sufficit, si interitus earum saltem indirectè nobis profit: quâ ratione excusatur, qui frumentum urbi hostili vicinum incendit, qui aquæ ductus incidit, qui ignis globorumve tormentariorum injectione ædes demolitur &c. eo scilicet fine, ut hostem tantò facilius ad deditioem ac saniora consilia adigat.

XIV Ostendimus quid de jure in hostem liceat; ex quo non sequitur, idem quoque semper factu opus esse, & quando fit, facienti prodesse. Certè moderatio in his nonnunquam insigni utilitate stipatur: Nam fiducia de victoriâ speciem præ se fert, quod efficacissimum ad excitandos militum animos argumentum est, tum & desperationem hostium antevertit, quæ sicubi dominari incipit, etiam imbellibus robur addit; denique victos victori conciliat, ut quod alioqui ægrè impetratur, jugum externum non inviti suscipiant.

XV. Superest Legum generalissimarum de statu Belli, tertia: FIDEM IN PACTIS BELLICIS STUDIOSE SERVATO: Nam obligatio ad fidem servandam ex jure naturali fluit, à quâ nemo nisi perfidiâ alterius, neque etiam perfidiâ quacunque, sed tantùm circa præsentem actum se exerente, liberatur. Extra talem casum & illis, qui in alio actu se perfidiâ polluerunt, fides servanda est; quandoquidem nemo ex peccato alterius, quatenus alterius est, jus peccandi consequitur.

XVI. Cum verò pacta bellica in *Publica & Privata* dispescantur, atque illa iterum *duobus* iniri modis soleant, ideo

ideo Lex specialior prostat: SIVE SUMMUS IMPERANS IPSE, SIVE PER MINISTROS SUOS PACISCATUR, EJUSDEM SANCTITATIS ESTO. De pactis publicis, ab ipso summo Imperante profectis, res videtur esse clara: Quis enim æquo ferat animo principem, qui juxta illud Euripidis, non aliter juramentis & promissis, quàm pueri astragalis luderet? Enimverò & pacta immediatè à Ministro profecta, summo Imperanti *causam*, aut ad minimum *occasionem* obligationis præbent. Pactum Ministri *causa* est obligationis, quando summus Imperans eum voluntatis suæ interpretem constituit; sive de præfenti negotio voluntatem specialiter exprimat, sive quod hoc velit ex qualitate officii, cui Minister præfectus est, vel ex ipsâ rei gerendæ naturâ intelligatur. Sic qui facultatem agendi concedit, v. gr. ut urbs occupetur, provincia ab hoste liberetur &c. idem simul concessisse præsumitur, sine quo actio commodè expediri nequit. v. gr. ut deditos sub certâ conditione recipere, militibus prædæ partem promittere atq; ex promisso reddere liceat &c. nisi contrarium expressè decernatur. At pactum Ministri summo Imperanti tantum *occasionem* præbet obligationis, quando ipsa obligatio proximè à ratihabitione eorum, quæ Minister gesit, deducitur. Ejusmodi ratihabitio non solum explicitè fieri potest, verum & implicitè, e. gr. si summus Imperans à Ministro sciens fieri patiatur, quod impedire poterat & (si obligari per eum nolit) impedire debebat: item, si commodum ex pacto Ministri proveniens sibi retineat, atque ita eo quo vult consequens, simul velle teneatur antecedens &c.

XVII. Ex distinctâ consideratione objectorum, circa quæ pacta bellica versantur, nonnullæ leges specialissimæ descendunt. Inter ista objecta eminent *Inducia*, de quibus hæc prima Lex esto: **INDUCIARUM TERMINUS, QUANDO ALIUD DEFINITUM NON EST, PARTEM TEMPORIS PACTO COMPREHENSI, CONSTITUIT.** Loquimur de utroque termino, *â quo*, ut vocant, & *ad quem*; quia eadem utriusq; est ratio, etsi de priori ab aliis dubitetur.

XVIII. Secunda Lex hujus ordinis esto: **DURANTIBUS INDUCIIS, ACTUS DEFENSORII, QUI IN PACTIS EXCEPTI NON SUNT, PERMITTUNTUR, NON ITEM OFFENSORII.** Ut exemplis ista illustremus, actus *defensorii* sunt, in locum tutiorem recedere, mœnia reficere, militem in terrâ adhuc nostrâ conscribere &c. Actus autem *offensorii* sunt, cuniculis actis urbi obsessæ appropinquare, aquam fossis subducere, præfidiarios corrumpere, lenocinante occasione vim inferre &c.

XIX. Tertia Lex ejusdem argumenti esto: **INDUCIÆ, PACISCENTES STATIM OBLIGANT; SUBDITOS AUTEM, FACTA DEMUM PUBLICATIONE.** Unde cum subditi longè latèque dispersi habitant, diversi termini, â quibus in distinctis locis incipere debeat obligatio, præfiguntur.

XX. Inter objecta pactorum Bellicorum proximum ab Induciis locum tenet *Liber Commeatus*, de quo Lex talis notetur: **LIBERI COMMEATUS INTERPRETATIO ITA FACIENDA EST, NE BENEFICIUM EI CUI CONCEDITUR, INUTILE VEL DAMNOSUM**

NOSUM SIT. Hinc si itus ad hostem concedatur, reditus denegari non potest; cum personis, quibus transitus indulgetur, simul rebus ad iter necessariis, securitas promittitur &c. Quod quidem in his similibusque casibus semper obtinet, quamdiu is qui liberum commeatum impetravit, per ingratitude se beneficio tali indignum non reddit. Nam jus commeandi per hosticum ut privilegium se habet, quod revocari potest, cum per abusum concedenti damnosum existit. e. gr. si libertate tali instructus ad rebellionem concitaret alienos subditos, si incendiarios conduceret &c.

XXI. A consideratione Pactorum publicorum, delabimur ad *Privata*, quibus moderandis Lex talis præficitur: PACTA PRIVATORUM IN BELLO, QUOTIES DE SUI REBUS ACTIONIBUSQ; NEC CONTRA LEGES SUPERIORUM ALIQUID DISPONUNT, VALIDA SUNTO. Eiusmodi pacta ineuntur de deditioe, de pecuniâ hosti numerandâ, de non pugnando ampliùs &c. quæ omnia servare decet. Si quæ autem Lex civibus militibusque hoc prohibuerit & contrarium mandaverit, ea juxta sensum humanæ infirmitatis ita intelligenda est, ut casus extremæ necessitatis excipiantur.

XXII. Restat *Belli Exodium*, de quo duæ leges generalissimæ occurrunt. Prior est: VICTOR CONDITIONES PACIS HONESTAS NE RESPUAT; cum videlicet ei de præteritis injuriis satisfit & in futurum obsidibus, pignore, per fidejussores, aliove modo satisfi cavetur. Hic enim finis belli est: Acquisito autem fine, actio propter finem suscepta, cessare debet.

B. 3.

XXIII. Po-

XXIII. Posterior est: VICTUS PACEM CON-
 DITIONIBUS QUIBUSCUNQUE, ETIAM DURIS
 ET INIQUIS INITAM, SERVET. Nam quod exce-
 ptio violentiæ & metus in foro pacta reddit invalida, id
 consensu gentium à pactis Pacem reducentibus alienum
 est; quia aliàs bellorum nec finis, nec modus foret, nisi
 cum omnimodâ partis alterius oppressione & excisione.
 Interim quamvis res iniquè occupata, post acceptas pa-
 cis condiciones, non possit absque perfidiâ, armis re-
 peti; haudquaquam tamen proptereâ honestè & justè
 possidetur.

XXIV. Sic præcipuarum LEGUM IN BELLO
 LOQUENTIUM summam, quantâ fieri potuit brevita-
 te complexi sumus; in plerisque Magni Grotii vestigia se-
 cuti, nisi quod seriem rerum dicendarum variè interpo-
 latam scopo nostro accommodavimus. Exempla ad-
 dere debuissimus, cùm eorum qui Leges tales observa-
 verint, tùm qui neglexerint & fusque deque habuerint,
 quarum quidem non exigua suppetebat copia tam ve-
 terum, quàm recentium: Sed cum Grotius & qui in Gro-
 tium scripserunt plurimi, antiquitatem penè omnem ex-
 hauserint, actum agere & Iliada, ut proverbium habet,
 post Homerum scribere, supervacuum nobis videba-
 tur. Quæ autem nostris temporibus aut non multum
 ante nos, sub eorum, qui nunc Rebuspublicis præsunt
 Majoribus, Propinquis, Amicis, contigerunt, tutiùs co-
 gnoscuntur, quàm cognoscenda proponuntur: Adeo
 cum veritate convenit illud Valerii Paterculi: *Vivorum*
 (& in quibus vivi vivunt) *ut magna admiratio, ita difficilis*
censura est. Quapropter, in nomine Dei, cum quo cœ-
 pimus,

pimus, manum de tabulâ amovere licebit, postquam nonnullas quæstiones à laudato prudentiæ Magistro Grotio decisas, adjecerimus, ne quid pagellarum vacuum relinquatur.

1. **A**N civitati justè bellum inferatur, propter factum singulorum? *Aff. si factum singulorum civitati merito imputetur. Grot. L. 2. c. 21. n. 2. 3. 4.*

2. An quis pro foederatis seu sociis, quibus auxilium promisit, ad bellum gerendum obligetur? *Aff. si socii bonitate causa nitantur. Grot. L. 2. c. 25. n. 4. 9.*

3. An finitis induciis, novâ belli denunciatione opus sit? *Neg. nisi ita inter partes convenerit. Grot. L. 3. c. 21. n. 3.*

4. An milites, propter militarium facinorum, durante bello in hostico commissorum iniquitatem, si in alio territorio deprehendantur, puniri queant. *Neg. Grot. L. 3. c. 4. n. 3. 4.*

5. An qui hostibus res subministrant, pro hostibus haberi mereantur? *Aff. si res istæ ad bellum ducendum sint utiles, & solennis promulgatio contra ejusmodi ausus antecesserit. Grot. L. 3. c. 1. n. 5.*

6. An dolo uti liceat adversus hostem? *Aff. si absit perfidia. Grot. L. 3. c. 1. n. 6. seqq.*

7. An captivi, quibus jam gratia vitæ facta est, jure talionis (h. e. tantùm ideo, quia hostis captivos ex nostris interfecit) interfici possint? *Neg. Grot. L. 3. c. 11. n. 16.*

8. An foeminae ab eorum numero, qui in bello justè interficiuntur, beneficio sexus, simpliciter sint exceptæ? *Neg. si animus superet sexum & ab illis quid vindictâ dignum committatur. Grot. L. 3. c. 11. n. 9.*

9. An pacta bellica, cum prædonibus & tyrannis inita, servare oporteat? *Aff. Grot. L. 3. c. 19. n. 2. 3. seqq.*

10. An pactum Regis captivi Regno noxium, pro valido habeatur? *Dist. Nam si regnum sit patrimoniale, questio affirmatur; si modus habendi regnum ex populi consensu dependeat, negatur. Grot. L. 3. c. 20. n. 3.*

11. An pacto Ducis milites teneantur? *Aff. si quid Dux promiserit, quod intra potestatem ejus est. Grot. L. 3. c. 22. n. 6.*

12. An

12. An Captivus promissione de non fugiendo obligetur? *Aff.*
Grot. L. 3. c. 23. n. 9.

13. An pactum redemptionis rescindi queat, propter ignorantam & postea compertam captivi opulentiam *Neg. Grot. L. 3. c. 21. n. 27.*

14. An concessio liberi commeatu extingvatur morte concedentis? *Neg. Grot. L. 3. c. 21. n. 20.*

15. An salva pace, exules aliena civitate ejectos recipere liceat? *Aff. Grot. L. 2. c. 5. n. 25. item L. 3. c. 20. n. 41.*

TIBIO JESU GLORIA.

GENEROSO RESPONDENTI,

Auditori, Commensali & Contubernali meo, in tertium usque annum, pio, diligenti, modesto atq; hinc amore omnium BONORUM dignissimo, perpetuam

FELICITATEM!

EST aliquid longo censeri sanguine: sed nil,
 Si virtute cares, atria picta juvant.

Turpe, coram Lepidis male vivere: Splendor avorum
 Poscit, ut in Natis fulgeat usque genus.

Hoc tecum expendens, o BANDEMIRE, paternum
 Niteris egregie continuare decus.

Sic perge, exemplo FRATRIS; quod fulta duobus
 Vestra virens nunquam desinat esse Domus.

f. Nobilissimæ Familæ deditissimus

S. SCHELGWIGIUS, PP

Dem
Hoch. Edelgebobrnem **HERRN**
Hrn. Siederich von Bandemer /
Meinem hochgeschätzten Freunde.

A frenlich ist der Mars der heiligen Themis Freund:
Sein Reich ist auch umbpält mit Straffen und Gesezen/
So wie Irene selbst: Der irret der vermeint/
Das / wo die Schwerter sich mit heissem Blute nehen /
Die Rechte sonder Krafft und ohne Zunge seind;
Vielmehr sind die auch hier der Mittelpunct der Läger /
Auff welchen alles zieht: Sie sind der rechte Stein /
Der Martis Eisen schärfft: Sie sind genaue Kläger /
Und rächer kleinster Schuld; Hingegen wo das Haus
Astræen selbst erbebt / sich neiget / fällt / zerreisset /
Wirfft Eris über sich die Feuer-Kugel aus /
Da der Equator Nend / der Umkreis Rasen heisset /
Und ist kein rechter Krieg / kein Lager / welches Du /
Mein hochgeschätzter Freund / gedenckest auff zuzeigen.
Wolan / ich wünsche Glück / und setze noch darzu:
Es müsse kein Gesetz zu deiner Wohlfahrt Schweigen!
Sein dienstbegieriges Gemüht zu temoigniren
aufgesetzt von

Nathanael Ernst Schmieden.

Ad Nobilissimum ac Præstantissimum
DOMINUM RESPONDENTEM
Amicum suum fraterno Amore colendum

De
Legibus inter Arma loquentibus doctè
dispurantem.

Fama fuit Leges inter strepera Arma silere,
Fama vetus quamvis est ea vana tamen.

Stat

3387.
Stat Paci sua Lex, quin stat sua Lex quoque Bello,
Quam, BANDMERE, doces inter & Armaloqui.
Hâc domat, & totum servat, Mars Armiger, Orbem,
Hâc justo inventa est, à Jove, tanta Salus.
Maçte animi! Scandis qui Pulpita nostra Lycæi,
Defendens doctâ, quam struis, Arte thesin.
Sis, voveo, felix, Genitus melioribus Astris,
Præmia quò Bello, Paceque multa feras.

Scrib:

NATHANAEL BÜTHNERUS,
Gedanensis.

Wenn der Bellonen Sohn das blanke Schwert wil weizen /
Ist man auff Unrecht nur und übelthat bedacht /
Die Kirchen-Stelle wird zum Pferde-Stall gemacht /
Ein jeder wil sich fast im Menschen Blute netzen.
Und du red'st / wehrter Freund / von redenden Gesezen
Nuch mitten in dem Krieg' / und lieferst eine Schlacht /
Die unser Künste Fürst selbst lieblich angelacht /
Und mit der klugen Welt die Musen rühmlich schätzen.
Der Streit geht glücklich fort: Die Macht des Feindes fällt
Es hat Fortuna sich dier günstig zugesellt:
Und / weil man fleissig dich fand auff den Büchern liegen /
Wenn Jöbus sein Gesicht in Rosen eingehüllt /
So schützet Pallas dich mit ihrem sichern Schild.
Es kan nicht anders sein / du must bekrönet siegen.

Diese wenige Zeilen hat dem Herrn Antwortenden / seinem
liebsten Freunde / und gewesenen Tisch- und Stuben-
Gesellen / mit wünschung alles wolergehens / und ei-
ner glücklichen Reise / aufsetzen wollen und sollen


GOTTFRIED WEZE /
von Thorn.

ULB Halle 3
002 373 289


s. 6.

VON 7







M 2²
34

M
1681,1

z

Q. D. B. V.
DISSERTATIO POLITICA,
DE
LEGIBUS

INTER ARMA
LOQUENTIBUS,

Quam
In celeberrimo Athenæo Gedanensi,
PRÆSIDE

SAMUELE SCHELGUIGIO,
Philosophiæ Primæ & Practicæ Prof. Pub.
Ordinario & SS. Theologiæ Extraordinario,
itemque Reipubl. Bibliothecario,
Solenni Disputantium Examine
submittit,

DIETERICUS à BANDEMER,
Eques Pomeranus.
Habebitur d. Januarii M DC XXCI.
In Auditorio Maximo,
horis matutinis.

GEDANI,
Imprimebat DAVID FRIDERICUS RHETIUS.

